MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80275-16

AUTHOR:

BETHE, ERICH

TITLE:

DEMOSTHENIS SCRIPTORUM CORPUS UBI...

PLACE:

[ROSTOCK]

DATE:

[1897]

Master Negative #

91-80275-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Bethe, Erich, 1863-1940.
... Demosthenis scriptorum corpus ubi et qua aetate collectum editumque sit. [Rostock] typis academicis Adlerianis [1897]
16 p. 28½ cm.

At head of title: Ad scholas quae in hac universitate Rostochiensi ... invitant rector et concilium ...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91   INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

AD SCHOLAS

QUAE IN HAC UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

PER SEMESTRE AESTIVUM
INDE A D. XV M. APRILIS USQUE AD DIEM XV M.
AUGUSTI A. MDCCCXCVII HABEBUNTUR

INVITANT

RECTOR ET CONCILIUM

INEST

ERICI BETHE

DEMOSTHENIS SCRIPTORUM CORPUS UBI ET QUA AETATE COLLECTUM
EDITUMQUE SIT

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

Demosthenis nomine inscriptum tenemus corpus permultis libris manu scriptis traditum orationum sexaginta, ad quas Philippi regis epistula accedit, prooemiorum quinquaginta sex, epistularum sex. Quorum scriptorum multa hi illi viri docti et antiquis et nostris temporibus a Demosthene abiudicaverunt, ex. gr. epistulas et prooemia omnia, orationes in Philippum quartam, in Aristogitonem primam, de re publica ordinanda, alias; nonnullas, ab omnibus fere damnatas, summi oratoris non esse constare videtur, veluti de Halonneso, de foedere Alexandri, orationes Apollodoreas sex, Eroticum etc.

Quod corpus cum a Demosthene ipso non esse compositum pateat, quo tempore quis collegerit, quibus auxiliis usus quem ad finem, quaerere mihi alicuius momenti videtur. Nam hac origine perspecta non nihil censeo nos et ad textum recensendum et ad recte iudicandas multas multis de orationibus prooemiis epistulis quaestiones lucrari atque ultra Demosthenicae regionis fines fore ut luces quaedam studiis philologicis fortasse adspergantur sperare licet.

At quid inquies res actas agis? Nonne Alexandrinorum hominum litteratorum vel ipsius Callimachi opera nos hoc etiam corpus debere pervulgatum est? Sane consentire videntur hac de re viri docti. Hermanno Sauppe enim, viro summo, qui in epistula critica ad Godofredum Hermannum p. 49 eum ordinem orationum Demosthenicarum quem nunc habemus, a Callimacho institutum esse docuit, plaudebant Carolus Rehdantz (Fleckeiseni Annales philolog. 1857 vol. 75 p. 814 sq., 1858 vol. 77 p. 469 et in Arnoldi Schaefer libro „Demosthenes und seine Zeit" III. 2^1 p. 817 sqq.), Hermannus Usener (Nachrichten der Götting. Gesellschaft d. Wiss. 1892 p. 191), quorum uterque illo accuratius et docte de hac re egerunt, alii multi. Callimachus igitur inter vastos Alexandrinae bibliothecae catalogos, qui πίνακες nominabantur, etiam ἀναγραφὴν τῶν ῥητορικῶν sc. συγγραμμάτων condiderat, atque omnes rhetorum orationes, quae undique erant coactae, diligenter secundum ordinem descripserat. Quibus indicibus usi bibliopolae Alexandrini vel fortasse doctus quidam Demosthenicorum editionem integram paravit, primo omnes orationes aliaque

scripta complexam, quae bibliothecarius celeberrimus enumeraverat, et eo, quem ille instituerat, ordine composita. Quam sententiam Sauppius sibi finxit argumentis nisus quae apud Dionysium Halicarnassensum leguntur: ex. gr. tom. VI p. 994 R. ὁ δὲ περὶ τὴν ἐπιστολὴν καὶ τοὺς πρέσβεις τοὺς παρὰ Φίλιππον ῥηθεὶς λόγος, ὃν ἐπιγράφει Καλλίμαχος Ὑπὲρ Ἁλοννήσου. Id autem quod addit Usenerus (p. 191) argumentum ex eodem scriptore (VI. p. 724 sq.) δημηγορίαν ἣν ἐπιγράφουσιν οἱ τοὺς ῥητορικοὺς πίνακας συντάξαντες περὶ τῶν συμμοριῶν firmum haberi nequit, cum ipso Dionysio teste (V. p. 661. l. 6 R.) praeter Alexandrinos etiam Pergameni ῥητορικοὺς πίνακας conscripserint. Atque fulsit Sauppius coniecturam hac qui in Photii bibliotheca p. 491 l. 29 servata est memoria: καὶ τὸν ὑπὲρ Σατύρου δὲ λόγον τῆς ἐπιτροπῆς πρὸς Χαρίδημον οἱ μὲν πρὸς τὴν κρίσιν ἔχοντες τὸ ἀσφαλὲς Δημοσθένους λέγουσιν εἶναι, ὁ δὲ Καλλίμαχος οὐδ' ἱκανὸς ὢν κρίνειν Δεινάρχου νομίζει, nam hanc orationem propterea, quia Callimachus a Demosthene abiudicaverit, in corpus quod tenemus non receptam ideoque non esse servatam manifestum viro illi docto videbatur.

At obstat difficultas omnibus illis argumentis gravior. Harpocratio enim p. 72, 13 Bekkeri: ἔστι δὲ inquit καὶ λόγος τις ἐπιγραφόμενος ‚Δημοσθένους πρὸς Κριτίαν περὶ τοῦ ἐνεπισκήμματος', ὃν Καλλίμαχος μὲν ἀναγράφει ὡς γνήσιον, Διονύσιος δὲ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ὡς ψευδεπίγραφον. Deest enim haec oratio in vasto nostro Demosthenicorum corpore, neque unum exstat fragmentum. Sin autem conditum fuisset hoc corpus ita, ut Sauppius eiusque sectatores doctissimi credunt, necessario etiam haec oratio, quippe genuina Callimacho iudice, cum ceteris secundum ordinem Callimacheum edita atque servata esset, cum hoc integrum tempus tulisse certum sit. Ac Sauppius quidem tantum valuisse Dionysii auctoritatem censebat, ut haec oratio omitteretur. At suo iure Hermannus Usener l. c. p. 191 praefracte negat ullum Dionysii Caeciliive iudicii laborisque vestigium in eorum quae tenemus Demosthenicorum electione aut ordine inveniri. Neque enim prima Philippica in duas orationes Dionysio duce in ullo codice digesta est, neque orationes XVII de foedere Alexandri, LVIII in Theocrinum, LX epitaphius aliae, quas omnes Dionysius expressis verbis a Demosthene abiudicat, e corpore eiectae sunt, neque receptus est quem genuinum iudicabat Halicarnassensis (p. 659. 1) Διφίλῳ δημηγορικὸς αἰτοῦντι δωρεάς.

Corruit igitur Hermanni Sauppe argumentatio; patet enim eam stare non posse, si non omnia congruunt. Quod cur magnopere mireris non est. Neque enim, quod Hermannus Usener p. 193 scite monuit, quemquam inter celebros grammaticos Alexandrinos prosaicis scriptoribus Atticis operam ita navavisse traditur, ut editionem eum parasse et emisisse credi possit nisi forte Aristophanes Byzantius Platonem (Diog. L. III 61); quod eo gravius habendum est, quia studiorum, quibus Alexandrini poetas impertiverant, vestigia multa exstant et praeclara.

Sed hoc certe Sauppius rectissime animadvertit, vinculo quodam et artissimo quidem coniuncta esse quod exstat Demosthenicorum corpus et Callimachi indices. Nam quis casu factum esse sibi persuadeat, ut de Halonneso oratio et Theocrini ἔνδειξις utraque omnium consensu damnata et a Callimacho et in nostris codicibus omnibus inter Demosthenicas numeratae traditaeque sint? Sin vero ea quam tenemus editio ab Alexandrinis catalogis non dependet, Callimachum eam iamiam manibus trivisse et indicibus suis descripsisse suspicari in propatulo est, immo ut accipiamus cogimur. Tertium enim non datur.

Haec argumentatio quamquam esse alicuius momenti mihi videtur, attamen per se sola neque id quod contendimus, corpus Demosthenicorum circa annum 300 ortum, abhinc integrum intactumque perniciosis criticorum iudiciis ad nostram aetatem servatum esse affatim demonstraverit neque satisfacit omnibus quas posuimus quaestionibus, quippe cum et quando et ubi et quem ad finem haec scripta in unum collecta sint ut appareret poposcerimus. Alias igitur vias ingrediamur necesse est et primum quidem formam et indolem naturamque singularum orationum nonnullarum, prooemiorum, epistularum examinemus eo consilio, ut quis et unde ea ediderit intellegamus, tum videamus num quid e librorum manu scriptorum recensione et origine de hisce rebus possit disci.

Contiones quas habuerat ipsum Demosthenem statim emisisse siquidem maioris momenti visae sint vulgo putatur neque veri est dissimile, cum orationes iterum et a pluribus lectae civium animos acrius incitent quam semel auditae atque consilia per litteras accurate delineata diligentius possint deliberari. Atque constat Athenis tum ex longo tempore fuisse morem, eiusmodi libellos edendi, qui civium iudicia mutarent, animos regerent. Neque quidquam impedit, quominus accipiamus ab ipso Demosthene plurimas orationes populares suis temporibus librario esse traditas. Sed p r i m a m P h i l i p p i c a m ea quam nunc legimus forma anno quo habita est 351 a. Chr. n. editam esse nego. Necessarium enim esse explicat ut Athenienses per totum belli spatium ad Philippi fines parvum exercitum cum decem navibus longis collocent, atque id ante omnia studet ut civibus persuadeat, hoc paucis talentis fieri posse. Iterum iterumque ad hoc civium animos adducit: e. g. οὐ γάρ, inquit § 14, οἱ ‚ταχὺ' καὶ ‚τήμερον' εἰπόντες μάλιστα εἰς δέον λέγουσιν... ἀλλ' ὃς ἂν δείξῃ τίς πορισθεῖσα παρασκευὴ καὶ πόση καὶ π ό θ ε ν δ ι α μ ε ῖ ν α ι δυνήσεται... et § 20 ἔσται δ' αὕτη τίς ἡ δύναμις καὶ πόση καὶ π ό θ ε ν τ ὴ ν τ ρ ο φ ὴ ν ἕ ξ ε ι, καὶ πῶς ταῦτ' ἐθελήσει ποιεῖν; § 28 ἴσως δὲ ταῦτα μὲν ὀρθῶς ἡγεῖσθε λέγεσθαι, τὸ δὲ τῶν χ ρ η μ ά τ ω ν, π ό σ α κ α ὶ π ό θ ε ν ἔ σ τ α ι, μάλιστα ποθεῖτε ἀκοῦσαι... § 29 πόθεν οὖν ὁ π ό ρ ο ς τ ῶ ν χ ρ η μ ά τ ω ν, ἃ παρ' ὑμῶν κελεύω γενέσθαι τοῦτ' ἤδη λέξω. Sed deest haec totius orationis gravissima pars atque, ut ita dicam, nervus. Nihil nisi index in codicibus legitur hic: πόρου ἀπόδειξις. Neque scribarum medii aevi vel exeuntis antiquitatis pigritia excidisse hanc computationem inde veri est simile, quod Dionysius Halicarnassensis ipso hoc orationis loco incidit et ultimam partem putabat aliam orationem quattuor annos post habitam, indiculo illo, ut videtur, in errorem — est enim error manifestus — adductus. Editores, quantum video, non mirantur, sed hanc adnotationem cum testimoniis, legibus, epistulis aliis orationibus aut insertis aut indiculo significatis comparant, rati Demosthenem πόρου ἀπόδειξιν a servo quodam legi iussisse. At ipse τοῦτ' ἤδη inquit λ έ ξ ω et pergit: ἃ μὲν

ἡμεῖς ὦ ἄ. Ἀ. δεδυνήμεθ' εὑρεῖν, ταῦτά ἐστιν. Neque est cur accipiamus, hanc computationem aliter atque illam § 28 fuisse compositam. Sed quomodocumque hanc partem orator constituit, ipse certe non omisisset eam, si orationem anno 351 edidisset, qui Atheniensibus vel per litteras persuaderet, quia cardo totius consilii in hoc computo versatur. Conferas Guilelmum Hartel in commentationibus in Mommseni honorem scriptis p. 524. Ergo non eam primae Philippicae formam tenemus, qua Demosthenes — si eam edidit, quod nescimus — sine dubio describendam curavit, sed intercedit editor quidam qui gravissimam orationis partem resecuit. Grammaticum Alexandrinum ita peccasse vix quisquam contenderit. Si mecum facis, rhetorem quendam accusas; rhetori igitur huius orationis memoriam debemus et, ut audacius concludam, rhetor corpus Demosthenicorum quod tenemus composuit.

Sed etiam alia indicia et ea quidem gravia exstant rhetorem fuisse editorem. Prooemia colligi cuius interest nisi eius qui arti rhetoricae studet? Sunt autem quinquaginta sex vel plura (cf. Blass Att. Bereds. III 1 p. 282), δημηγορικά inscripta in codicibus praeter Σ et apud Harpocrationem, apud Pollucem VI 143 συμβουλευτικά. Supposita esse plurimi censebant, ex aliorum oratorum scriptis collecta J. G. Kiessling, ex Demosthenis orationibus aut servatis (XIV = prooem. 7, XV = pr. 27, XVI = pr. 8, IV = pr. 1a, I = pr. 3) aut deperditis concisa et passim aucta ab inferioris aetatis magistris Leonardus Spengel, ab ipso Demosthene ad futuros usus eleborata esse cum G. Schaefero, A. S. Beckero, Boehneckeo, Henrico Weil (harangues [2] p. 363), Fridericus Blass iudicavit iudiciumque mihi quidem satis probavit scita sua dissertatione (Att. Bereds. III 1 p. 281 sqq.), qua praeterea veri simile reddidit, a iuvenili Demosthene ea esse composita. Res gestae enim et rerum condiciones, in quas nonnulla prooemia facile referuntur, inter annos 357 et 338, si amplissimos fines ducimus reperiuntur. Sicut temporum ratio ita ars dicendi et oratorum mos prooemia in quemcumque usum futurum praeparandi tam bene consentiunt ut pro explorato habuerim, revera haec exordia Demosthenem in suum usum conscripsisse. Atque gravissimum huius originis est argumentum quod nonnulla prooemiorum in genuinis orationibus inveniuntur non simpliciter repetita sed hic illic verbis mutata ita ut librarius ex illis ea descripsisse credi nequeat. Immo vel alios locos prorsus simili modo Demosthenem ex altera in alteram orationem traiecisse luculentissimo exemplo probatur quod tertiae Olynthiacae § 25 praebet cum § 207 Aristocrateae (XXIII) comparata.

III. 25	XXIII. 207
	τὴν Θεμιστοκλέους μὲν οἰκίαν καὶ Μιλτιάδου καὶ τῶν τότε λαμπρῶν, εἴτις ἄρα ὑμῶν οἶδεν ὁποία ποτ' ἐστίν, ὁρᾷ τῶν πολλῶν οὐδὲν σεμνοτέραν οὖσαν,
δημοσίᾳ μὲν τοίνυν οἰκοδομήματα καὶ κάλλη τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα κατεσκεύασαν ἡμῖν ...	τὰ δὲ τῆς πόλεως οἰκοδομήματα καὶ κατασκευάσματα τηλικαῦτα καὶ τοσαῦτα ὥστε μηδενὶ τῶν ἐπιγιγνομένων ὑπερβολὴν λελεῖφθαι. ...
ὥστε μηδενὶ τῶν ἐπιγιγνομένον ὑπερβολὴν λελεῖφθαι·	

ἰδίᾳ δ' οὕτω σώφρονες ἦσαν . . . ὥστε τὴν Ἀριστείδου καὶ τὴν Μιλτιάδου καὶ τῶν τότε λαμπρῶν οἰκίαν, εἴ τις ἄρ' οἶδεν ὑμῶν ὁποία ποτ' ἐστὶν ορᾷ τῆς τοῦ γείτονος οὐδὲν σεμνοτέραν οὖσαν.

Conferas ipse primae Philippicae § 10 cum Chersonnesiaca § 50 sq. Neque aliter prooemio quod primum numeratur, Demosthenes usus est ad primam Philippicam exornandam. Nam post enuntiatum quod in utroque textu idem est, ita oratio a commentario discedit:

IV. 1	prooem. 1
ἐπειδὴ δ' ὑπὲρ ὧν πολλάκις εἰρήκασιν οὗτοι πρότερον συμβαίνει καὶ νυνὶ σκοπεῖν, ἡγοῦμαι καὶ πρῶτος ἀναστὰς εἰκότως ἂν συγγνώμης τυγχάνειν.	ἐπειδὴ δ' ὑπὲρ ὧν πολλάκις εἰρήκασιν οὗτοι πρότερον, περὶ τούτων νυνὶ σκοπεῖτε, ἡγοῦμαι καὶ πρῶτος ἀναστὰς εἰκότως ἂν μετὰ τούτους δοκεῖν λέγειν.

Sed ipsum oratorem eiusmodi rudimenta non edidisse manifestum est. Itaque post mortem e scriniis eius protracta in lucem prodierunt. A rhetore hasce summi oratoris exercitationes in rhetorum usum collectas et cum orationibus perpolitis in unum corpus coniunctas esse veri videtur simillimum.

Ac constat inter omnes fere, nos unam certe Demosthenis orationem manibus terere, quam aequales eius numquam cognoverunt, Midianam dico. Destitisse enim eum hac accusatione ex Aeschinis in Ctesiphontem oratione scimus (§ 52 καὶ ταῦτα ἤδη τὰ περὶ Μειδίαν καὶ τοὺς κονδύλους, οὓς ἔλαβεν ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ χορηγὸς ὤν, καὶ ὡς ἀπέδοτο τριάκοντα μνῶν τήν τε εἰς αὐτὸν ὕβριν καὶ τὴν τοῦ δήμου καταχειροτονίαν, ἣν ἐν Διονύσου κατεχειροτόνησε Μειδίου). Revera imperfectam esse Midianam viri docti inter se consentiunt neque antiquos philologos fugit (cf. Photii bibl. cod. 265 p. 491 A B, cf. Dionys. Halic. ad Amm. I c. 4 cum Arnoldi Schaefer adnotatione Demosth. II [2] 110, 1). Sive haec quae exstat orationis in Midiam forma e diversis duabus astute composita est, altera breviore et minus diligenter elaborata qua apud populum in probolae actione uteretur, altera fere absoluta, quam haberet in iudicio, — Hugo Wachendorf (Gymns.-Progr. Neuss 1879), hanc coniecturam proposuit — sive magis minusve neglegenter sit conglutinata e pluribus commentariis, quos Demosthenes singulos conscripserat — van den Es (Commentatio de D. Midiana, Traiecti ad Rhenum 1874 p. 3) et Petrus Bastgen (dissertat. inaug. Monasterii Guestfal. 1884 p. 49) ita iudicant — imperfecta certe e schedis Demosthenis post eius mortem protracta et qualiscunque edita est ab homine, qui etiam fragmenta a summo oratore relicta pio animo coleret. Nam de avido librario, qui schedulas casu repertas conflaverit, cum Van den Es cogitare ut per se ineptum est, ita propterea displicet quod haec non minus Midianae est condicio, sed plurium orationum.

Ac primum quidem Timocratea quamvis multis numeris laudanda esse ubi hiet, repetat, claudicet, Westermanni, Benseleri, Schäferi inquisitionibus ita patefactum est, ut dubitari nequeat, quin ita ea ab ipso Demosthene non sit emissa. Repetitur enim in eius § 160—186 fere verbotenus magna pars orationis contra Androtionem, ab

hoc in Timocratem male translata nec bene cum iis quae necopinato sequuntur coniuncta (Westermann quaest. Demosth. III 159 sqq. 165, Schaefer Demosth. [1] III, 2, 63), repetuntur plura in fine Timocrateae ex prioribus eius ipsius locis, hiatus vitandi leges Demosthenicae, vel omnino omnes in isdem illis capitibus negleguntur (Benseler p. 125). Quibus rebus omnibus et ipsis illis Diodori Androtionisque litibus perpensis Arnoldus Schaefer sagacissime coniciebat, duas varias huius orationis formas in unam esse confusas, utramque quidem ab ipso Demosthene scriptam sed non ad finem perductam, alteram non tam Timocratem quam Androtionem sociosque aggressam, alteram commutatam postquam illi periculum quod immineret solvendo effugissent. Sin autem vir ille doctus discernere noluit, utrum Diodorus odio permotus conglutinatis Demosthenis commentariis hanc quam legimus orationem finxerit statimque ediderit, an postea quis fragmenta quae invenit anxie composuerit itaque quasi absolutam orationem restiuerit, equidem non sum dubius quin haec sententia sit praeferenda. Nam si Diodorus hanc orationem librario tradere voluisset, Demosthenes eam certe perpolivisset ne gloriam minueret, quam tum admodum adulescens sibi comparare acriter studebat. Immo veri videtur simillimum, cum accusatori illi condidisse orationem perfectam quam ante iudices diceret, quia non nisi ita officium praestitisset. Quae si exstiterit, interierit. Sed revera eam perscriptam fuisse, non constat, nescimus enim num res ad iudices pervenerit (cf. Blass Att. Bereds. III, 1 [2], p. 281). Itaque huius orationis numquam perfectae commentariolos e mortui Demosthenis scriniis editos esse crediderim atque eodem modo, quo Midianae disiecta membra, in absolutae orationis speciem esse redactos.

De oratione in Aeschinem de falsa legatione aliter non esse iudicandum inter antiquos erat divulgatum. Cf. Photii bibl. cod. 265, p. 421, A 40 καί τινες ἔφασαν ἑκάτερον λόγον (sc. Midianam et de falsa legatione) ἐν τύποις καταλειφθῆναι, ἀλλὰ μὴ πρὸς ἔκδοσιν διακεκαθάρθαι, cf. praeterea Plutarchi Demosth. c. 15 et quae collegit et disseruit Arnoldus Schäfer Demosth. II [2] 413, 2. Nostri autem aevi viri docti quamquam imperfectam eam esse concedere haesitant aut nolunt, attamen ex Aeschinis oratione demonstraverunt adversarium eius nonnulla dixisse, quae in servata oratione desiderantur, imprimis quae de Philocrate locutus erat. Itaque aut consulto Demosthenes nonnulla omisit et commutavit qui ederet libellum, id quod Arnoldus Schaefer Demosth. III [1] 2, 72 cum Mich. Schmidt accipit, aut ante iudices non prorsus eandem quam conscripserat orationem declamavit, sed hic illic addidit quaedam (cf. Blass Att. Bereds. III p. 363 sq.) et commentarius tum librario non traditus post mortem e scriniis eius ab alio emissus est. Quae quaestio mea quidem sententia vix diiudicetur, quamquam illud mihi minus veri simile videri ingenue fateor. Nam intellegi nequit, cur Demosthenes eiecerit omnia quae de Philocrate, Aeschinis amico, paulo ante capite damnato dixerat, ut adversarium suum calumniaret. Simili autem modo et ratione neque alio eventu viri docti inde a Rudolfo Rauchenstein (Aarau 1835) et Adolfo Kirchhoff (Sitz.-Ber. Berl. Ak. 1875) de Demosthenis Ctesiphontea agabant aguntque, veluti nuper Henricus Reich (Münch. Gymn.-

Progr. 1890/1) qui p. 1—9 diligenter omnes de hac re dissertationes recensuit, et Albertus Rabe (Gottingae 1892). Sed ad id quod nos nobis demonstrandum proposuimus hae quaestiones, fortasse iusto argutiores, non pertinent.

Quartam vero quae numeratur Philippicam (X) eidem ordini cui Midiana et Timocratea adscribendam esse, quamquam antea aliae sententiae dictae sunt, hodie viri docti harum rerum peritissimi oratione accuratissime pertractata iudicant iudiciumque tam gravibus argumentis fulciunt ut hanc conclusionem vix effugiatis. Intricatissima autem quaestio est. Recte enim Antonius Westermann, Arnoldus Schaefer alii observaverunt neque singulas partes bene inter se cohaerere neque quem in finem scripta esset apparere et amplos locos ex oratione VIII de Cherroneso (X § 11—27 = VIII § 38—51, X § 55—70 = VIII § 52—67), frustulum e secunda Philippica (X § 12—13 = Ph. II § 17 sq.) transscripta esse, retractata quidem illa hic illic attamen haud parva e parte verbo tenus repetita, et in § 35—45 de theoricis tam leniter benigneque agi ut haec sententia a Demosthenis de iis iudicio saepius acerrime prolato longe abhorreret. At hisce de causis falsarium posterioris aetatis hanc orationem conglutinasse minime demonstratur. Nam de falsario cogitari nullo modo potest, quia is qui hanc orationem scripsit accuratissime res tum gestas cognovit, vixit igitur tum temporis i. e. circa annum 341/0 (cf. Dionys. Halicarn. p. 738 l. 10 R.). Immo hic solum commemorantur quaedam aliunde non nota et ita quidem comparata, ut historicos ea narrasse veri certe non sit simile, e. gr. § 9 Philippum Antronas Thessaliae oppidulum emisse, i. e. cepisse civibus nonnullis pecunia corruptis (cf. Henr. Weil Les harangues de Demosthène [2] p. 357 sqq., Blass Att. Bereds. III [2] 1 p. 384 sqq.) Atque prima orationis pars, ubi de Antronis dicitur, vocat quidem in memoriam hanc illam sententiam in aliis orationibus a Demosthene tractatam, sed cum necessarium fuerit, oratorem saepius idem monere, per se offensionem non praebet. Paragraphi autem 28—34 et eo quod suadent legatos qui subsidia contra Philippum petant ad Persarum regem mittere (cf. Philipp. III § 71), et arte sua indoleque tam bene sunt munitae ut iure suo Henricus Weil potuerit scribere (har. de Dem. [2] p. 360): „plus je relis ce morceau, moins je puis comprendre qu'on puisse l'attribuer sérieusement à un faiseur de pastiches et, s'il faut dire tout ce que je pense, je regarde un tel soupçon comme une étrange aberration de jugement". Neque illae quartae Philippicae partes § 11—27 et § 55—70 quae in oratione VIII de Cherroneso fere reperiuntur a falsario temere repetitae sunt, sed saepius hae ab illis dissentiunt modo haud ita feliciter in § 11—27, modo tam bene in § 55—70, ut haec forma illi in oratione octava traditae fere praeferenda videatur, modo minutiis commutatis, modo additis supplementis (§ 46—54), quae ita non sunt superflua vel languida, ut § 46—70 cum § 52—67 Cherronnesiacae comparatae perfectiores videantur magisque limatae. Restat denique de theoricis dissertatio § 35—45. Etiam hanc lepide defendi posse Henricus Weil docuit quamquam non negat sese suspicari, eam non a Demosthene sed ab eius adversario quodam compositam esse. Quibus observationibus nisus densas quae

quartae huius Philippicae originem opprimebant tenebras dispulit vir ille doctissimus: non est oratio perfecta neque una, sed varia varios in fines spectantia fragmenta, et plura quidem genuina composita sunt coniuncta suppleta, frustula partim orationum numquam aut habitarum aut perpolitarum, partim commentariorum quibus in oratione VIII edita usus est. Quam Henrici Weil coniecturam libenter amplectimur, quae non solum multas et graves huius orationis difficultates probabiliter explicet, sed etiam fortiter fulciatur observationibus quae docent, Midianam et Timocrateam simili modo ab editore quodam consutas esse neque aliter alias orationes.

De ordinanda re publica orationis (XIII περὶ συντάξεως) partes quidem artius illa fortasse cohaerent, haud tamen melius ad unam certamque metam properant. Nam § 1—11 de theoricis bene atque e Demosthenis sententia agunt ita ut cur ab illo abiudicentur causa sit nulla, ea autem quae sequuntur in universum vagantur atque § 21—31 cum Aristocratea (§ 197 sqq.) et tertia Olynthiaca (§ 23 sqq.) fere verbo tenus consentiunt. Sed etiam in posteriore parte nonnulla reperiuntur, quae Demosthene indigna vix ducantur. Itaque ad idem de hac oratione iudicium perventum est quod de supra tractatis viri docti tulerunt.

Sed nimium lectoris benevoli patientia abusus ceteras aut addubitatas Demosthenis orationes aut ab eo alienas non eodem modo percensebo quippe qui non habeam quod diligentissimis acutisque philologorum de eis dissertationibus addam. Ad nostram enim quaestionem monuisse sufficit, esse inter traditas Demosthenis orationes quas non ab ipso sed post mortem partim e commentariis consutas partim e scriniis editas esse constet. At multae aliae in Demosthenicorum corpore leguntur orationes a summo oratore alienae. Certe, sed ut concessum est earum plurimas ab eius aequalibus compositas esse dictasque, ita nullam esse post annum fere 250 a. Chr. n. aut cum fraude scriptam aut stili excercendi causa a sophista quodam elaboratam adhuc satis firmis argumentis probatum est. Hoc autem ex vobis quaerere non praetermiserim: qui factum esse putatis ut inter Demosthenicas non minus quam septem orationes pro Apollodoro Pasionis filio Atheniensi exstent, quarum sex alteri rhetori critici, nonnulli Apollodoro ipsi addicunt? Quae ad unam omnes quin ex Apollodori bibliotheca ab ipso eiusve heredibus editae sint dubitatio esse nequit. Sed neque causae, quae tractantur neque vir ille pro quo scriptae erant tales sunt propter quales quis publici iuris eas factas esse suspicari possit. Quid porro? Demosthenis putabantur, Demosthenis igitur causa protractae sunt. Quod Athenis factum esse haud multo post oratoris mortem ab eo iisve, quorum manus industriamque sensimus in nonnullis eius orationibus et prooemiis edendis, fragmentis conglutinandis, mea quidem sententia veri videtur simillimum. Permultum enim illorum interfuisse apertum est, quam plurima summi oratoris opera colligere, quippe qui ne schedulas eius commentariosque quidem contempserint.

Itaque examinatis iis quae Demosthenis nomine inscripta tempus tulerunt, ni omnia me fallunt, ad id perducimur ut iudicemus primam Demosthenicorum editionem

Athenis haud multo post oratoris mortem in lucem prodiisse. Alexandriae enim in bibliotheca confluxisse non solum orationes ab ipso Demosthene aliisque aequalibus suo quamque tempore in publicum emissas, sed etiam et Demosthenis orationes numquam aut perfectas aut habitas, commentarios schedulasque, prooemia, i. e. omnia vel multa, quae in mortui scriniis inventa erant, et septem orationum corpusculum in usum negotiatoris cuiusdam Atheniensis conscriptum — quis ut sibi persuadeat a se impetrare possit? Athenis autem omnia praesto erant, Athenis igitur colligendi labor tam erat facilis quam difficilis Alexandriae, immo sine audacia contendere posse mihi videor, ab omni veri similitudine hoc tantum abhorrere quantum illud ad eam accedat. Nam Demosthenis post mortem multi Athenis memoriam pie colebant et vim dicendi admirabantur. Testes sunt Dinarchus qui ita Demosthenem licet adversarium imitabatur ut ἄγροικος Δημοσθένης (Dionys. Hal. de Dinarcho ind. c. 8) et κρίθινος (Hermogenes p. 413) appellatus sit, Demochares qui avunculi vestigia sequebatur, psephisma, quod senatus populusque Atheniensium anno a. Chr. n. 280 Demochare auctore scripserunt (Plutarchi Demosth. c. 30 et Pseudoplutarchi Demosth. vit.) et statua, quam in foro eodem anno ponendam curaverunt. Alexandriae autem oratores Atticos et Demosthenem tanti aestimatos esse neque traditur neque veri simile est. Quocumque vero oculos vertis, nusquam saeculis a. Chr. n. tertio et quarto exeunte Demosthenis studium floruisse sentis, sed aliud dicendi genus tum ortum esse omnibus notum.

Quae cum ita sint, Demosthenis opera Athenis circa annum a. Chr. n. fere 300 vel 280 ab hominibus rhetoricis studiis deditis collecta editionemque factam esse concessum iri spero. Sed quamquam ex multorum quae exstant scriptorum forma et indole, qualis illa fuisset cognovimus, iamiam quot opera et quae illa exhibuerit nobis erit quaerendum. Ac primum orationes et ab ipso auctore non emissas et ab editoribus consutas, prooemia, orationes Apollodoreas in primam illam editionem iure nostro vindicamus, tum vero non minore iure celeberrimas omnes et contiones et orationes iudiciales. Quid autem de spuriis iudicabimus atque de epistulis? Et harum quidem si quae sunt genuinae — ac sane cum specie Fridericus Blass aliique secundam et tertiam defenderunt — Atheniensi editioni necessario attribuendae sunt. Ceteras autem sicut spurias orationes si quidem Demosthenis aetate aut circa annum 300 compositae sint, cur ab illa abiudicemus non video, praesertim cum Apollodoreae orationes demonstrent, editorum iudicium non tantum fuisse quantam pietatem. Itaque Demosthenis editionem principem omnia exhibuisse quae codices nostri tradunt, quin suspicemur facere non possumus. Quod si ponimus, necessario est concludendum, etiam ordinem titulos, versuum numeros eosdem fuisse in illa, quos servati codices exhibent. Nihil autem miri. Nam titulos libellis inde ab exeunte saeculo quinto praescriptos fuisse constat (cf. U. de Wilamowitz Herakles I [1] p. 124) et versus numerandi morem fuisse iam saeculo quarto Theopompus testatur (in Photii bibliothec. cd. 176 p. 120 b, 39 sq. FHG I p. 282, 26 cf. Usenerum p. 192). Etiam ab hac igitur parte si coniecturam spectamus haud improbanda videtur.

Revera autem omnes qui feruntur Demosthenis codices ex uno eodemque archetypo fluxisse manifestum est. Conferas ex. gr. quae Carolus Rehdantz in Fleckeiseni annalium volumine LXXVII anni 1858 p. 464 sq. adnotavit. Quamvis enim in duas partes discedant, Parisinus 2934 Σ et Laurentianus 136 L ab altera, ab altera omnes ceteri stent, quos illi quantopere superent vix dici potest, attamen — si Philippi et Demosthenis sextam epistulam mittis, quarum haec casu nescio quo, illa a scriba quodam fortasse consulto praetermissa in Σ deest — omnia eadem in utriusque classis libris leguntur prooemia epistulae orationes perpolitae imperfectae consutae, genuinae spuriae, iidem tituli, iidem versuum numeri singulis orationibus prooemiis epistulis subscripti; omnes ultimis orationis in Zenothemin sententiis carent, omnes idem enuntiatum in Timocratea p. 757 l. 7 omittunt quod in Androtionea unde illud caput desumptum est p. 616 l. 26 praebent. Atque ordinem quondam fuisse eundem, postea quidem variis modis a rhetoribus scribisque fortasse perturbatum, manifesta vestigia exstant (cf. Rehdantz in Fleckeiseni annal. vol. 75 p. 816 anni 1857 et vol. 77 p. 462 sq. anni 1858, W. Christ Abhandlg. der bayr. Akademie 1882 vol. XVI 3 p. 226 sqq.), ex. gr. ex orationibus quae Philippicae appellantur, accuratius ex Olynthiacis omnes libri initium faciunt.

Itaque multae et graves discrepantiae, quae inter codicum genera intercedunt hoc efficere nequeunt ut de communi eorum origine dubitemus. Nusquam autem tantum discedunt libri quantum in tertia Philippica, cuius breviorem formam ΣL exhibent, longiorem ceteri. Unde sumpserunt hi totas illas sententias sententiarumque particulas quas in hac oratione praeter textum codicum ΣL praebent? Neque enim interpolationes sunt quales rhetor, ne doctissimus quidem addere potuerit, sed et si formam spectas Demosthene dignae habentur et illius aetatis res quasdam gestas commemorant ita ut nemo nisi aequalis talia dicere potuisse videatur. Iam vero Leonardi Spengel (Philos. philog. Abhandlungen der Münchener Akademie III p. 157 sqq. et IX 1 p. 112 sqq.) et Henrici Weil (Fleckeiseni annal. 1870 p. 535 sqq. et Harangues de Demosth. [2] p. 314 sqq.) speciosis inquisitionibus mea sententia constat, non esse cur altera aut brevior aut longior tertiae Philippicae forma a Demosthene abiudicetur, ortum autem esse vulgatum textum coniunctis breviore, quae in ΣL pura servata est, cum ampliore forma. Itaque antiquitus utriusque generis archetypus vel huius orationis eandem formam eundemque fere textum exhibuisse patet. Sed non minus manifestum est, alium textum exstitisse itidem genuinum, ex quo additamenta illa in vulgatam editionem irrepserunt. De duabus igitur huius contionis ab ipso Demosthene paratis editionibus viri docti cogitaverunt. Quo nescio an rectius suspicemur, eos qui Demosthenis schedulis usi primi completum corpus ederent, etiam tertiae Philippicae non textum a bibliopolis venditum sed exemplar ab ipso oratore retractatum et in scriniis eius conditum describendum curavisse. Ac similiter fortasse iudicandum est de diversarum recensionum vestigiis orationis de corona et pseudodemosthenicae in Neaeram quae ex Hermogene (vol. III p. 308 Walz) Guilelmus Dindorf enotavit (Demosth. ed. Oxon. I p. V): ἐκεῖνα μέντοι διὰ τὸ ἄγαν εὐτελὲς καὶ ὠβέλισάν

τινες καὶ ὑπεξείλοντο, ἴσως ὀρθῶς ποιοῦντες, λέγω τὸ „κυάμους ἐφθοὺς βοῶσα κατὰ πᾶν τὸ θέρος ἐπλανᾶτο“ καὶ τὰ ἑξῆς· ... τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ ἐν τῷ κατὰ Νεαίρας ὠβελισμένον ὑπό τινων, τὸ „ἀπὸ τῶν τριῶν τρυπημάτων τὴν ἐργασίαν πεποιῆσθαι“ λέγειν. Unde Hermogenem tam remotam doctrinam hausisse putas? Nonne pro certo paene affirmari potest, eum de hisce rebus in antiquioribus commentariis legisse, quae quanta fuerint copia et bonitate fragmenta ab Harpocratione servata docent? Immo vero varias variarum editionum lectiones ab interpretibus illis veterrimis notatas tractatasque esse non solum hic lexicographus p. 20, 2. 69, 7. 131, 1 (Ἀττικιανὰ ἀντίγραφα) etc., sed etiam quae exstant licet miserrima scholia testantur ad Midianae § 133 p. 558, 16 et § 147 p. 562, 16 (ἡ δημώδης et ἡ ἀρχαία ἔκδοσις). Cf. Herm. Usener Nachrichten der Gesellschaft d. W. zu Göttingen 1892 p. 188 sqq. Sin autem in commentariis Demosthenicis tractabantur et variae lectiones et maiores discrepantiae additamentaque ex rarissimis exemplaribus enotatae, facile intellegimus, qui factum sit ut et in Hermogenis animum et in tertiae Philippicae textum vulgatum frustula recensionum alias ignotarum irrepserint, in ΣL autem nihil eiusmodi inveniatur. Nam non textum solum sed etiam commentarios continent vulgatae editionis libri et servati et deperditi quibus rhetores antiqui utebantur, alterius autem classis codices merum textum tradebant (scholia enim in Σ posterioris aetatis manus sicut vulgatas lectiones addiderunt).

Quibus de causis — accedunt autem multae — apertum est, unum illum fontem, unde uterque παραδόσεως Demosthenicae rivus defluxit et limpidus quidem ΣL, squalore infectus alter, in ipsa antiquitate quaerendum esse. Immo ante Dionysi Halicarnassensis aetatem. Hunc enim codicibus ΣL multo peiorem textum habuisse vulgatisque simillimum notum est, paucisque iterum probabo. Affert Dionysius de admirabili in Demosthene vi dicendi tom. VI. p. 1015, l. 11 sqq. R. tertiae Olymthiacae § 23 sqq., unde hasce propono varias lectiones cum Demosthenicis collatas:

συνήγαγον Dion., Antverp. Ω γρ. Σ [2] — ἀνήγαγον Σ etc.
ἐν τοῖς ἰδίοις Dion., ΣΒΩ etc. — τοῖς ἰδίοις ΑΥ
τοσαῦτα καὶ τοιαῦτα Dion., ΑΒ — τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα Σ etc.
λειφθῆναι Dion. sol. — λελεῖφθαι Demosth. cdd.
αὐτοῖς ἐπράττετο Dion., ΑΥ Urb. — ἐπράττετο αὐτοῖς Σ
ἐκέκτηντο Dion. sol. — ἐκτήσαντο Demosth. cdd.
καὶ παραπλησίως Dion. Σ etc. — ἢ παρ. ΑΥ
τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ Dion., Ω — καὶ τὰ μὲν ἄ σ. ΑΥ, οἷς τὰ μὲν ἄ. σ. Σ. Exciderat igitur in editione vulgata οἷς (post παραπλησίως), itaque legit Dionysius et Ω, tum addidit quisquam καὶ, quod ΑΥ receperunt.
περὶ τῶν πρωτείων ὑμῖν Dion., ΑΥΩ — π. τ. πρ. ἡμῖν Σ
ἢ παρ' ἡμῶν αὐτῶν ὁ Φίλιππος Dion., ΑΥΒ — ἢ π. ἡ. αὐ. Φ. Σ
πρὸς τοὺς ταῦτα πολιτευομένους Dion., Σ — π. τοὺς τὰ τοιαῦτα π. ΑΥΩ
ἐκ πτωχῶν πλούσιοι Dion., Σ — ἐ. π. ταχὺ πλούσιοι ΑΥ
ηὔξηται Dion., Demosth. vulg. — ηὔξηκεν Σ

Ex eadem oratione § 34 = p. 38, 1 exscripsit tom. V p. 608 sqq. R.

τοῦτο παρέχῃ Dion., εἰς τοῦθ' ἑτοίμως χρήσιμον ἑαυτὸν παρέχοι Ω, εἰς τοῦτο ἕτοιμος ὑπάρχῃ ΑΥ — τοῦθ' ὑπάρχοι Σ οἴκοι μένων βελτίων εἶ Dion., ο. μ. εἶ β. Demosth. vulg. — ο. μ. βελτίων Σ ὠφελεῖ Dion., γρ. οὐκ ὠφελεῖ man. recentissima Σ — ὠφελεῖται Σ etc. Quamquam hic illic Dionysius cum Σ facit, multo tamen saepius cum vulgatae lectionibus et pessimis quidem consentit. Luculentissime autem eum δημώδους ἐκδόσεως exemplum trivisse, hic Philippicae tertiae locus § 13 = p. 113 l. 28 ab eo ter exscriptus (tom. VI p. 948 l. 11, p. 978 l. 16, tom. V p. 610 R.) demonstrat. εἶτ' οἴεσθε, οἳ μὲν οὐδὲν ἂν αὐτὸν ἐδυνήθησαν ποιῆσαι κακὸν Dionys., Ω et ceteri vulgatae editionis codices, quorum nonnulli κακὸν inter αὐτὸν et ἐδυνήθησαν collocant — εἶτ' οἴεσθ' αὐτόν, οἳ ἐποίησαν μὲν οὐδὲν ἂν κακὸν Σ. Conferas Henrici Weil adnotationem (harangues de Demosth.[2] p. 324).

Non solum vero peiorem textus recensionem permultis secundae classis codicibus traditam, qua melior illa librorum ΣL aperte vetustior est, Augusti temporibus rhetoris eruditissimi in manibus fuisse, sed etiam Demosthenis scriptorum ordinem titulosque Dionysio multo esse antiquiores demonstrari potest.

In lepidissima enim ad Ammaeum dissertatiuncula Dionysius contra philosophum quendam Peripateticum qui Demosthenem Aristotelis praescriptis rhetoricis eruditum ad summum eloquentiae fastigium ascendisse probare studuerat, multas orationes sed nullam quae in codicibus nostris deest enumerat secundum temporum ordinem additque uni cuique annum quo habita sit, ut evincat non modo post plurimas, sed etiam post optimam quamque, immo post celeberrimam de corona orationem ab Aristotele rhetoricam scriptam esse vel ad finem perductam. Miror quod viri docti — nonnulli certe — putare videntur, Halicarnassensem ipsum omnes illas orationes ad suum annum singulas redegisse. Quanta diligentia quam acribus infatigatisque studiis quanto sudore opus fuerit, facile intelleget si quis quo anno ex. gr. una ex Olynthiacis habita sit enucleare conatus erit. Tantum laborem rhetorem vel doctissimum suscepisse qui Peripatetici cuiusdem somnia refutet, quis credat? Aut si iam antea chronologiam Demosthenicam Dionysius constituisset, nonne uno verbo prodidisset, suae assiduitatis fructus sese promere? Non rhetor ita summi oratoris opera tractat, sed philologus, historicus. At obicias, ab ipso Dionysio primam Philippicam in duas partes divisam, alteram anno 352/1, anno 347/6 alteram addictam esse, cum hac coniectura solus utatur (tom. VI p. 725 l. 11 et p. 737 l. 2) et scholium Demosthenicum tom. VIII p. 155 l. 3 sqq. eius auctorem diserte Dionysium appellet. Sit. Sed hoc pro certo affirmaverim, annos singularum orationum Dionysium non primum constituisse, sed aliunde descripsisse. Nam ipsa haec ad Ammaeum epistula docet, rhetorem de eius modi quaestionibus antea vix egisse quippe qui diligentis discipuli more tanta doctrina totque argumentis rem simplicissimam impugnet, legiones contra muscam ducat. Caveamus ne honesto docto erudito rhetori gloriam imponamus quam ipse minime affectaverat. Disertis enim verbis aliorum doctrinam se tradere fatetur (p. 723 l. 18 sqq.): ἀνάγκη δ' ἴσως πρῶτον, ὅσα παρέλαβον ἐκ τῶν κοινῶν ἱστοριῶν, ἃς κατέλιπον ἡμῖν οἱ τοὺς βίους τῶν ἀνδρῶν (sc. Δημοσθένους καὶ Ἀριστοτέλους) συνταξάμενοι, προειπεῖν· Sequitur Demosthenis vita, annorum cura accuratissime acta, ex. gr. ἐγεννήθη μὲν ἐνιαυτῷ

πρότερον τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος ἄρχοντος δὲ Τιμοκράτους — δημοσίους τε λόγους ἤρξατο γράφειν ἐπὶ Καλλιστράτου ἄρχοντος — ἕτερος (λόγος) ἐπὶ Καλλιστράτου ἄρχοντος ὁ περὶ τῶν ἀτελειῶν (contra Leptinem) — ἐπὶ δὲ Διοτίμου τοῦ μετὰ Καλλίστρατον ἐν Ἀθηναίοις πρώτην εἶπε δημηγορίαν ... περὶ τῶν συμμοριῶν etc. Vide, quanta diligentia haec Demosthenis vita scripta sit. Nonne ex eodem fonte, unde hic tot orationum annos sumpsit, Dionysium etiam infra hausisse manifestum est? Neque Philochori Atthidem eum (p. 734 l. 10 sqq.) evolvisse putaverim, cum hunc testem minime praetermittere potuerit is qui primus Olynthiacas orationes anno 349/8 habitas esse contendit. Ac revera eum apud doctissimum de Demosthene auctorem, quem exscripsit, Philochori verba invenisse, aliquo modo probare mihi videtur scholium ad secundam Olynthiacam tom. VIII p. 74, l. 10 sqq. quod eadem affert. Nam quamquam Dionysius ipse in scholiis saepius laudatur (cf. p. 71, l. 1 sqq.), tamen Demosthenis interpretes antiquos illius aetatis et historiam et instituta tractasse Philochoro teste saepe accito Harpocratio bene demonstrat.

Ante Dionysium igitur grammatici Demosthenis orationibus variam et magnam operam navaverant. Ex epistula autem eius ad Ammaeum cognoscimus, eos non solum genuinae contiones quo anno habitae essent quaesivisse et constituisse, sed etiam de spuriis atque imperfectis orationibus egisse, quas quin Demostheni attribuerint nemo dubitat. Sane vero mirum est quod et hae et illae omnes tempus tulerunt, non singulae traditae, sed arte coniunctae in uno eodemque corpore. Videas quaeso. Halicarnassensis enim antiquioribus illis commentariis usus orationem affert de Halonneso, quae a Demosthene certe aliena est, verba facit de Philippica quarta, Midiana, quae ab oratore ipso neque limatae neque editae post eius mortem protractae et compositae sunt. Casu autem factum non est, ut et grammatici illi et Dionysius et is qui corpus Demosthenicum composuit de Halonneso contionem genuinam putaverint, quamquam alii dubitabant, alii Hegesippi eam esse sibi persuaserant, neque Fortunam effecisse putaverit quis ut nullam, Dionysius orationem in epistula illa tractaret quae in codicibus nostris deest. Ergo rhetorem eiusque auctores idem corpus Demosthenicum in manibus habuisse, quod servatum est, aliquo iure concludimus. Accedit vero aliud. In fine orationis de Halonneso quae sextum locum tenet, subscriptio in codice Σ legitur haec: τόμος α' φιλιππικοὶ λόγοι ϛ'. Sex illae codicis Σ Philippicae sunt Olynthiacae tres, Philippica prima, de Chersonneso, de Halonneso. Easdem omnes Dionysius expressis verbis Philippicas appellat, alio quidem ordine: de Halonneso contionem tom. VI p. 737 l. 13 R. ὀγδόην τῶν Φιλιππικῶν, p. 738 l. 1 ἐνάτην κατὰ Φιλίππου Chersonnesiacam numerat. Alteras sex vel quinque orationes eodem Philippicarum titulo inscriptas fuisse idem multique grammatici rhetoresque docent (cf. Boehnecke Forschungen a. d. Gebiete der att. Redner I p. 232 sq.). Alterum igitur argumentum tenemus quo docemur Demosthenicorum corpus quod fertur antiquitus exstitisse. Sed altius adscendimus hunc Philippicarum titulum persecuti quem inventum esse ab editore patet qui complecteretur Demosthenis contiones. Cicero enim eum imitatus suas in Antonium orationes Philippicas inscripsit, postquam iam anno 60 in epistula ad Atticum II 1. 3

se in eius Philippicarum exemplum decem aut duodecim orationes suas sub titulo consularium editurum esse prodidit. Antiquissimum huius tituli testem secundi scilicet a. Chr. n. saeculi Panaetium investigavi philosophum qui dicit τῶν λόγων αὐτοῦ οὕτω γεγράφθαι τοὺς πλείστους, ὡς μόνου τοῦ καλοῦ δι' αὐτὸ αἱρετοῦ ὄντος, τὸν περὶ τοῦ στεφάνου, τὸν κατὰ Ἀριστοκράτους, τὸν ὑπὲρ τῶν ἀτελειῶν (in Leptinem), τοὺς Φιλιππικούς (Plutarchus in vita Demosth. c. 13). Quibus praemissis concessisque cum Alexandrinum quendam id quod tempus tulit Demosthenicorum corpus composuisse initio refutaverimus, cum summa veri similitudine id quod antea suspicati eramus, iamiam contendimus (p. 5), Callimachum in ῥητόρων πίναξιν conscribendis idem hoc corpus ante oculos habuisse: nam ut hoc de Halonneso contionem et Theocrini ἔνδειξιν licet spuriam utramque receptas servavit, ita illum easdem inter genuinas numerasse proditur.

Splendidissimum argumentum addendum erat, si satis firmis fundamentis staret Hermanni Usener speciosa de Demosthenis textus memoria coniectura (Nachrichten d. Gesellsch. d. Wiss. zu Göttingen 1892 „Unser Platontext“ p. 186 sqq.). Si enim manifestum esset, quod non esse cum dolore concedo, codicem Σ esse Ἀττικιανὸν ἀντίγραφον, Demosthenicorum corpus ante Theophrasti mortem compositum esse veri esset simillimum, cum eius bibliotheca Atticus usus sit qui ederet Aristotelis scripta et aliorum. Sed tam fortiter Lipsius summi viri argumenta aggressus est, ut in illis niti nefas videatur (Berichte d. Leipz. Gesellsch. d. Wiss. phil.-hist. Cl. 45, 1893 p. 10 sqq.).

Ad idem igitur iudicium textus recensionibus ordine titulis perpensis iterum pervenimus quod tulimus ipsis orationibus epistulis prooemiis examinatis. Itaque censeo, Demosthenis scriptorum corpus collectum esse Athenis circa annum fere 300 vel 280 a. Chr. n. ab homine pluribusve viris litteratis qui oratoris admiratione inflammati undecunque orationes eius vel ei addictas coegerunt et e scriniis mortui non pauca protracta aut pie ediderunt aut non sine audacia interpolaverunt; continuisse autem hoc corpus eadem omnia quae codices nostri exhibent, iisdem titulis ornata, eodem ordine, cuius vestigia sensimus, composita, iisdem versuum numeris signata, quae in nonnullis libris manu scriptis leguntur, quamquam haud raro a versibus textus in iis traditus, interpolationibus scilicet deformatus, dissenti. Tenemus igitur me iudice primam quae prodiit Demosthenis editionem sine detrimento servatam. Quod cognovisse licet magni momenti putaverim, maioris tamen duco nos monumentum habere editionis antealexandrinae. Alexandrinis sane grammaticis gratias agere numquam desistemus, qui antiquorum poetarum textus recensuerint, sed ne nimis illorum indefesso labori studioque addicamus cavendum est. Gloria enim quam illis invitis imponimus ab Athenarum sacro fronte deripitur. Ego quidem mihi persuasi, et poetarum opera ante museum Alexandrinum conditum coacta fuisse et prosaicorum antiquiorum scripta nos non Alexandrinis debere sed Atheniensibus.